



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 6. Matrimonium honestius, quò castius. Continentes, Sancti Conjuges.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

18. Matrimonium unde initiavit? non à corruptione, non à prole; sed à societate. Fiat adiutorium simile sibi: adiutorium non ad defendendum: nemo enim lædebat, aut læsisset Adam; nisi suâ culpâ se sibi, atque cætera, fecisset inimicari. Sed ad quid? ad laudandum, & benedicendum, animò, & rationabili verbò, atque aperire, Deum. Simon Cass. l. 15. de iust. Christi. c. 3.

*Immisit ergo Dominus DEUS soporem in Adam.* Gen. 2. 21. Adam prius quodammodo in cœlum raptus audit arcana verba, quam humanam vocem: prius Angelos vidit, & cum iis collocutus; quam mulierem viderit, audierit, aut allocutus sit. Nec enim validior solet esse armatura, quam piæ meditationis ad Deum. Discant hinc, qui conjugalem statum affectant; quâ armaturâ se prius debeant præmunire, antequam tam ærumnosum statum ineant. Sed ita evenire solet; ut sine ullâ cœlesti armaturâ profus inertes; imò, quod peius est, clausis oculis, in conjugalem labyrinthum se præcipitent. Fernandus in Gen. 2. Sect. 8.

*Adduxit eam ad Adam.* Gen. 2. 22. Adducta est ad Adam prius sponsa, & offensa: scire enim sponsum oportet, qualis sponsa sit, quibus moribus, quibus virtutibus, ornata: non tam de pecuniis, quam virtutibus, sollicitus sit. Dormienti Adamo costam Deus abstulit ib. 21. sed ad vigiliantem Evam adduxit; & qualis Eva esset, aperuit. Multi dormientes conjugium contrahunt, pauci vigilantes. In dote accipienda vigilant; in uxore consideranda dormiunt. Barradius t. 2. l. 3. c. 4. D. 2. Epiph.

*Vocemus puellam, & queramus ipsius voluntatem &c.* Gen. 24. 57. Hinc intellige; quantum errent illi, qui per vim filias suas in uxores tradunt iis, quas ipsæ nollent; vel qui eas monasteriis includunt, ut religiose sint, quamvis tepugnent. Diez conc. 2. de Incarn. D.

## §. VI.

*Matrimonium honestius, quò castius, Continentes sancti conjuges.*

*Quoniam virum non cognosco.* Luc. 1. 34. Ut audacter affirmem: eò matrimonium dignius, atque honestius, est censendum, quò major castitas ipsum fovet. Simon Cass. l. 2. c. 7. Pulchriores, atque ditiores, sunt nuptiæ castitate, quam copiâ filiorum. Et quantò humana caro piâ intentione ab amplexibus, & concubitu removeretur; tantò ad primam orationis suæ pulchritudinem repropinquat. Vocent omnes Christum ad nuptias, ut aut eas ex toto castificent; aut nihil in eis agant, quam Christiferam deceat sanctitatem. Id. l. 5. c. 1.

S. Eduardus Rex Angliæ cum Editha conjugè castè vivit. Bollandus 5. Jan.

S. Julianus cum S. Basilissa cum esset desponsatus, & in thalamum sponsæ inductus, miram uterque liliorum, & rosarum, in eo hyemali tempore, adorati sunt fragrantiam: quâ

itâ delibuti, ut statuerent simul virginitatem servare. Bolland. 9. Jan.

*Exempla continentium Conjugum.* 1. B. Virgo, & S. Joseph. 2. S. Cecilia, & Valerianus. MM. 3. S. Pulcheria, soror Theodosii Imp. & Marcion, teste Cedreno. 4. Henricus secundus Imp. & Cunegundis, quæ, ut suam virginitatem probaret, illasæ super ferrum candens ambulavit. 5. Boleslaus quintus Polonorum princeps, & Cunegundis Belæ Hungariæ regis filia. 6. Conradus rex filius Henrici quarti Imp. & Mathildis. 7. Eduardus tertius, & Egitha.

Sic existimo: si quis ab extremis orbis finibus, atque ex universo hominum genere, præstantissimum conjugium conciliare studisset; nullum usquam conjugium isto præstantius, aptiusque, reperiri potuisse. Sic enim virorum, atque mulierum optima, & præclarissima quæque, in unum confluerant; ut hoc matrimonium non minus virtutis, quam corporum, nexus esset. Nam cum alios vincerent, se tamen ipsi mutuo, propter virtutis æqualitatem, & æquilibrium, vincere non valebant. S. Gregorius Naz. or. 28. de funere Patris.

## §. VII.

*Documenta varia.*

*Angelus Domini apparuit in somnis Joseph.* Matth. 2. 13. Quare revelatio de fuga Christi ad infideles non fuit facta Virgini Mariæ? quæ erat sanctior Josepho? Resp. ad ostendendum, quòd regimen domus ad virum pertinet. S. Vincent. Ferr. S. in Oct. SS. Innoc. Vir debet esse cœlum dominando; & uxor terra subjiciendo. Id. l. 2. de Nat. B. V.

*Dominam eum vocans.* 1. Petri 3. 6. Sara proprio nomine vocabatur Jescha, ut dixi Gen. 11. in fine; postea dicta est Sarai, id est, domina, vel princeps mea; idque, ut videtur, ab Abraham: qui videns se ab ea honorari, vocarique dominum; vicissim eam honorare voluit; ideoque vocavit eam Sarai. S. Gregor. Naz. or. 11. de S. Gorgonia sorore sua asserit: Saram hac obedientiâ, & honore, quem derulit marito, promeritam esse, non tantum iustitiæ laudem; sed & ut ex eo conciperet, & pareret filium sanctum, & illustrem Patriarcham Isaac. Cornelius hic.

*Viri similiter cohabitantes.* Id. ib. v. 7. ut non impediantur orationes vestrae q. d. si vir uxori honorem non deferat, sed illam viliter, & indignè tractet; illa vicissim viro indignabitur, cum eo rixabitur; itaque impediatur utriusque pietas, & oratio. Id. hic.

*Miscellanea.*

*Isaac duxit Rebeccam aetatis suæ anno 40.* ut patet Gen. 25. 20.

*Quarum tibi requiem.* Ruth. 3. 1. Id est, quarum tibi honestum, & opulentum conjugium; in quo à paupertatis, famisque, laboribus libera in mariti divitiis cura requiescas. Cornelius hic.